

tinent Benedicti XIV litteræ in forma Brevis ad Facultatis Theologicæ Tolosanæ Decanum cæterosque ejusdem Facultatis Professores, anno 1753 datæ. Cum enim in Urbe Montepessulana propugnata fuisset Thesis his verbis expressa: « Prædeterminatio physica est inutilis, tum ex parte Dei, tum ex parte creaturæ. Non potest conciliari cum libertate hominis. Et est Deo injuriosa, quem facit auctorem peccati. » Facultas Theologica Tolosana rogata, ut suam de illa sententiam ferret, hoc de illa judicium tulit: « Judicium Doctrinale Facultatis Theologicæ Academiæ Tolosanæ contra Thesim non ita pridem in urbe Montepessulana propugnata. » Rogata Facultate Theologica Academiæ Tolosanæ, ut suam de Thesi sequenti dicat sententiam: « Prædeterminatio physica est inutilis, tum ex parte Dei, tum ex parte Creaturæ. Non potest conciliari cum libertate hominis. Et est Deo injuriosa, quem facit auctorem peccati. » Ad hujus lectionem obstupuit Sacra Facultas, nec sine dolore audivit, vulgatam adeo apud Doctores Catholicos doctrinam, qualis est Prædeterminationis physice sententia, his deturpari notis, quibus acerbiores vix ullæ contra Manichæos et Calvinistas adhiberi possent. Quapropter censuit Sacra Facultas, hanc Thesim temere prorsus appositam fuisse, florentissimæ in Ecclesia Scholæ injuriam ferre iniquissimam, Pontificisque ac regis sanctionibus de pace in Scholis Catholicis servanda, fugiendisque censuris ac conviciis, quibus offendi utrinque possent, plurimum adversari. Actum Tolosæ die 8 Augusti, labentis anni 1752, in Conventu et Scholis S. Patris Augustini, ubi Comitia Sacræ Facultatis celebrari solent. Josephus Julien de Roubignac Sacræ Facultatis Decanus.

De Mandato DD. Decani et Magistrorum Sacræ Facultatis Tolosanæ.

Fondes Secretarius. Hoc autem judicium Benedictus XIV approbavit his litteris: « Dilectis Filiis Josepho Julien de Roubignac, Facultatis Theologicæ Tolosanæ Decano; cæterisque ejusdem Facultatis Professoribus Tolosan. Benedictus Papa XIV, Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

« A Felicis Recordationis Clementis XII, nostro immediato Prædecessore, in suis Apostolicis litteris expeditis die 2 Octob. 1733, quarum initium est *Apostolicæ Providentiæ*, occasione disputationum in Catholicis Scholis vigentium in explicanda divinæ gratiæ efficacia, ita sancitum est; nec primum id ab eo sancitum est, cum illud ipsum ab aliis suis et nostris Prædecessoribus, jam sancitum fuisset: *Quamobrem Felic. Record. Pauli V*, « et aliorum Prædecessorum nostrorum, ad extinguendum dissensionum fomitem, vestigia prosequentes, et saluberrima mandata renovantes, auctoritate quoque nostra omnibus et singulis superius expressis (singulis scilicet Christi fidelibus) interdiximus et prohibemus sub iisdem pœnis, ne vel scribendo, vel docendo, vel disputando, vel alia qualibet occasione, notam, aut censuram ullam Theologicam iisdem

scholis diversa sentientibus, inurere, aut earum sententias conviciis et contumeliis incessere audeant, donec de iisdem controversiis hæc Sancta Sedes aliquid definiendum vel pronuntiandum censuerit. » Porro ex hoc nemo est, qui non videat Sacræ vestræ Theologicæ Facultatis sapientiam, sanam Doctrinam, atque justitiam, dum die 8 Augusti anni 1752 proscibendam censuit Thesim sequentibus verbis conceptam: « Prædeterminatio physica est inutilis, tum ex parte Dei, tum ex parte creaturæ. Non potest conciliari cum libertate hominis. Et est Deo injuriosa, quem facit auctorem peccati. » Hæc sunt quæ exponenda censuimus, dum vestris, dilecti Filii, litteris scriptis Idibus Martii currentis anni 1753, respondemus. Et tibi, aliisque professoribus Theologicæ Facultatis Tolosanæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 16 Martii 1753, Pontific. nostri anno 12. »

APPENDIX ALTERA.

In qua discrimen ostenditur inter Catholicas opiniones et Jansenianam hæresim; ut vero clarior res fiat, exponuntur varii hominis status ad Gratiâ comparati.

Status hic sumitur pro conditione illa, sub qua humana Natura ad suum ultimum finem juxta Providentiæ leges comparata concipitur: quo sensu ii, qui ultimum finem possident, eoque fruuntur in statu termini; qui vero per virtutes ac bona opera ad illud pervenire contendunt in statu viæ positi dicuntur. Dum hominem spectamus veluti in via positum, per quam juxta Providentiæ ordinem ad finem pervenire studeat, triplicem distinguimus ipsius statum, hoc est, innocentiam, naturæ lapsæ, et naturæ per Christi gratiam reparatæ. Status innocentiam ille est, in quo fuit Adamus a Deo positus a doloribus, miseriis ac morte immunis, cum ea naturæ integritate per quam sensus affectusque perfectæ rationis imperio subesset, et cum originali justitia ac gratia sanctificante. Status naturæ lapsæ misera est illa Adami posterorum conditio, qui nondum per Baptismum ab originaria, quæ ex eodem Adamo trahitur, culpa liberati sunt. Status denique naturæ reparatæ is est, in quo sunt homines Christi gratia liberati et redempti. Atque ii status sunt, in quibus revera homo aut fuit, aut nunc est. Disputari quoque solet de statibus, qui non fuere, sed esse possent, qui possibiles appellantur, et inquiri: I. Num possibilis sit status puræ naturæ, in quo homo sine vitio, et sine Gratia esset, subiectus tamen infirmitatibus, aliisque miseriis, quibus nunc sumus obnoxii? II. Num possibilis sit status naturæ integræ, in quo supernaturali auxilio careret homo, nec ad supremam esset beatitudinem elevatus, sed iis naturæ præsiidiis donaretur, quibus immunis fieret a nostris miseriis, ac per naturales virtutes iis respondentem beatitudinem comparare sibi posset. III. Denique num possibilis sit status naturæ lapsæ, non reparandæ,

in quo fuisset homo post Adæ peccatum, si Deus infinita sua misericordia eum non liberasset. De iis ergo statibus primum dicendum est.

Atque a recensendis proscriptis erroribus exordior. Pelagiani initio v Ecclesiæ sæculi negantes peccatum, Adamum dixere ita a Deo conditum, ut nunc homines nascuntur, sine ullo naturæ adjutorio, et sine supernæ Gratiæ auxilio. Horum hæresim excitavere iterum sextodecimo sæculo Sociniani, originariam culpam negantes, ac docentes Adamum mortalem, ac iis omnibus obnoxium conditum fuisse miseriis, quibus nos premimur. Iis proxime accedunt Arminiani, qui juxta Limborchii explicationem, in Adamo nullum supernaturale donum, nullamque indebitam prærogativam cognoscunt, licet sententia aliqua ei in illo statu necessaria donatum fuisse asserant, eaque rectitudine, qua nec inordinata concupisceret nec concupiscere posset, quia cum lex tunc non esset, liberrimus voluntatis usus sine culpa erat; et licet contra Pelagianos, ac Socinianos doceant, a morte futurum fuisse immunem, virtute fructus arboris vitæ, quo in Paradiso uti potuisset, statuunt nihilominus, hominem viribus naturæ, quas etiam in præsentia habet, Deo ultimo fini, ac superno bono proportionatum esse, ac ad illius possessionem pervenire posse; et Adamum peccato suo, secluso pravo exemplo, nihil prorsus homini nocuisse.

Contra vero Calvinus, Lutherus, Baius, Jansenianique, hominem ob Adami peccatum, ita vitiatum in natura, ac depravatam efficiunt, ut non tantum qualibet indebita in eo prærogativa desideretur, sed etiam naturales, ac propriæ ipsius virtutes, ac perfectiones, quibus ante illius peccatum Deo ita proportionatus erat, ut solis naturæ viribus cognoscere, amare, ac bono libertatis usu facile Deum consequi potuisset. Dicam paucis, omnia concessa Adamo bona, integritatis, justitiæ, innocentiam, quibus a passionibus, infirmitate, ac morte immunis erat, et facile virtutem sectari, sancteque vivere poterat, naturæ fuisse proprietates, et appendices tradunt. In eo ergo cum Pelagianis, Socinianisque conveniunt, quod hominem omni bono spirituali, ac superna gratia destitutum, initio a Deo conditum asserant, et quod solæ ei naturæ vires ad finis consecutionem sufficerent; dissident vero, quia nunc nonnullis naturæ proprietatibus, et perfectionibus spoliatum asserunt. Ita vero Calvinum docuisse, verba hæc satis aperte declarant, quæ a Bellarmino recensentur *de Gratia primi hominis*, c. 1: « Ergo animam hominis Deus mente instruxit, qua bonum a malo, justum ab injusto discerneret: ac quid sequendum, vel fugiendum sit præeunte rationis lucæ videret. Hinc adjunxit voluntatem penes quam est electio. His præclaris dotibus

(4) Quæ Baii mens in hac controversia fuerit, ex propositione ejusdem, num. 79, eruitur, quæ est hujusmodi: « Falsa est Doctorum sententia primum hominem potuisse a Deo creari sine justitia originali. » Quæ quidem propositio cum S. Thomæ doctrina aperte pugnat. Hic enim in lib. 1, l. sententiarum dist.

excelluit prima hominis conditio. » Vide nullam fieri supernaturalis gratiæ mentionem, sed libertatis tantum per peccatum amissæ, et naturalis cognitionis per istud obtenebratæ, ut ipse alibi exponit; Lutherus vero *Commentar. in III Genes. caput*, clarius loquitur, quia postquam dixit, « justitiam non fuisse quoddam donum, sed fuisse vere naturalem, ut natura Adæ esset, diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum, » subdit, « Hæc tam naturalia fuere in Adamo, quam naturale est, quod oculi lumen recipiant. » Et infra, « Porro hæc probant, originalem justitiam esse de natura hominis: ea autem per peccatum amissa, non mansisse integra naturalia, ut Scolastici delirant. » In eandem abiere hæresim Baius, ejusque sectatores. Vide Baii propositiones circa Gratiâ Angelorum, et primi hominis, 1, 3, 7, 9, 21, 23, 24, 27, 65, 66, in quibus asserit Angeli primique hominis *merita* non recte vocare *Gratiâ*; felicitatem, quam consecuti sunt Angeli, quamque perseverando assecutus esset Adam, non *Gratiâ*, sed *mercedem* fuisse; *merita* primi hominis *munera* fuisse creationis, ac exaltationem humanæ naturæ in divinæ consortium, id est justitiam, et sanctificationem, sive in Filii Dei adoptionem, naturalem dicendam esse, non supra naturæ ordinem, atque indebitam; naturalem itidem, sive juxta naturæ conditionem fuisse immortalem. Denique irridet theologos aientes, Adamum supernaturalibus, et gratuitis donis ac auxiliis indignis, ut fide, spe, et charitate Deum coleret. Hæc vero cum ita se habeant, quis non videt, Baium cum Calvino, ac Lutheris sensisse, hominem a Deo initio formatum cum debitis ipsius naturæ perfectionibus, ea fuisse mente, ac libertate præditum, qua bonum malumque discernere, sancte vivere, ac æternam adipisci beatitudinem potuisset, si vellet; quæ perfecte corpus, ejusque motus deprehenderet, ac nutu suo facile regeret, corpus denique habuisse, nec infirmitatibus, nec morti obnoxium? Ita sane ipsius sententiæ declarant, atque ita expositæ illæ fuere a celebrioribus theologis, scilicet a Bellarmino *de Grat. primi hominis* lib. 1, cap. 1, ab Aloysio Turriano in tract. contra Baium, cap. 1, § 1, a Vasquesio, a Suaresio proleg. 6, *de Grat.* cap. 2, n. 5, a Ripalda, Goneto, Estio, Francisco Macedo, aliisque. Hoc vero posito, quis non videt, turpiter eos errare, qui censeant, cum Baio sentire, negantes possibile statum puræ naturæ quia hic propos. 55 dixerat: « Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur? » Nam Baius puram naturam hominis eam credidit, quæ in Adamo fuit, nunc vero non puram, sed depravatam, vitiatam, ac in naturalibus corruptam ob peccatum esse, et a Deo vitiatam fieri non potuisse naturam asserit (4). At qui

51, quæst. 1, art. 2, ad 3, inquit: « Poterat Deus a principio, quando hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terræ formare quem in conditione naturæ suæ relinqueret, ut scilicet mortalis et passibilis esset, et pugnam concupiscentiæ ad rationem, sentiens, in quo nihil humanæ naturæ derogaretur.

negant inter Catholicos, naturam puram a Deo creari potuisse, ex aliis principiis id erunt, quæ non sunt improbata, ut infra ostendemus. Redeo nunc ad rem.

Neque dubitari potest, quin in eadem cum Baio hæresi fuerit Jansenius damnati illius systematis propugnator acerrimus, cum recensendo Adamiticæ culpæ consecraria ea doceat, quæ ex pravis Baii principiis sequuntur, de quibus infra dicemus. Interim indicare sufficiat Quesnellianas illas theses, quæ eundem errorem præseferunt. Sunt vero 34, 35, 36, 37, in quibus declarat, Adami gratiam, quæ sequela fuit creationis, debitam adhuc integræ naturæ fuisse, et humana duntaxat produxisse merita; ac discrimen designando, quod gratiam status innocentiae, atque Christi Gratiam intercessit, ait illam quemque *in propria persona* recipere debuisse, hanc vero *in persona Christi*; ac illam, sanctificando hominem in semetipso, fuisse *ei proportionatam*; hanc vero, nos in Christo sanctificando, omnipotentem esse, ac Dei Unigenito Filio dignam. Quæ sane perspicue designare videntur, voluisse Quesnellium astruere integritatem, ac sanctitatem, cæterasque Adami prærogativas, naturæ nondum per culpam depravatæ, inseparabilem conditionem, ac debitas proprietates fuisse. Id vero ne gratis videatur assertum, celebres nonnullos theologos indicandos censui, qui rem ita explicaverunt. Vide Jacobum Fontanam tom. 1 Constitut. *Unigenitus propugnata* pag. 747 et seq. Instructionem editam, ac probatam post comitia Cardinalium, Archiepiscoporum, et Episcoporum Galliae anno 1714. Henricum Cardinalem Bissy in tractat. Theologico advers. Quesn. etc. Gregorium Sella S. R. E. Card. in principio tom. VI, aliosque theologos.

Habes itaque hæreses contra catholica de statu innocentiae dogmata, quæ credere nos cogunt, Adamum in illo fuisse statu positum, supernaturali Gratia instructum, per quam in sanctitate et justitia constituebatur, et a morte, miserisque immunem; nec denique concupiscentiæ, et passionibus subjectum, cum affectus rationis imperio omnino subditi essent. Dum hæc intacta maneant, nil est quod in Scholasticorum opinionibus reprehendas, quæ versantur, vel circa instans, in quo fuit illi Gratia collata vel circa distinctionem originalis justitiæ a charitate; vel circa necessitatem originalis Gratiae per se efficacis, ultra sufficientem, vel circa naturam habitus supernaturalis auxilii, aliudve simile. Dum enim status habuisse supernaturale auxilium, sine eo nil agere potuisse, quod ad æternam felicitatem conferret, ac liberum sub hoc auxilio mansisse, fides nostra sarta tecta servatur, sive dicas, Gratiam sanctificantem habuisse, et sufficientem qua bene agere posset, si vellet; sive auxilium efficax ultra

quia hoc ex principiis naturæ consequitur: non tamen iste defectus in eo rationem culpæ, et pœnæ habuisset, quia non per voluntatem iste defectus causatus esset. Confer S. Augustinum de *Dono perseverantiae* cap. 11. (EDIT. BARBIELL.)

sufficiens ad salvandam dependentiam a Deo, necessarium ei fuisse ad agendum opineris; sive putes supernam dilectionem divinitus eidem inspiratam, ac in eo permanentem charitatem fuisse, qua sanctus Deoque charus esset, et qua si vellet, bene agere, ac in accepta justitia perseverare potuisset, quin etiam novo auxilio adjuvaretur, sive alio modo Scholasticis etiam ignoto explices inhærentem, aut permanentem in eo sanctitatem, et justitiam, et supernum adjutorium, sine quo bene agere, ac perseverare non poterat. Idem de integritate, aliisque privilegiis dicas; nam modo rationis in affectus imperium astruas, ac immunem illum a morte fuisse concedas, nil vetat, quominus vel in Gratia supernaturali, vel in naturali rectitudine vim illius imperii constituas, et quominus una, vel altera hypothesi, qua id contigerit ratione demonstras; sicut liberum cuique est investigare, quo infirmitatibus modo, et morte futurus fuisset immunis, dum tamen legem fateatur, qua a moriendi necessitate liberabatur.

Pauca nunc de statu pure naturæ dicemus idque ex eo quod Sporerius, sive illius supplementi auctor, aliique confidenter asserant, Baianos, Jansenianosque esse, qui hunc possibilem negant, sed ducti principiis superius a nobis expositis, quæ sunt hæreses ab Ecclesia notata. Si ergo theologo sunt, qui principia illa improbant, ac alia via adstruere conentur, vel Deum hominem concupiscentiæ rationi rebelli subjectum condere initio non potuisse, vel debuisse etiam illum supernaturali gratia donare, cur damnati erroris contra Apostolicæ Sedis sententiam arguuntur? Sunt vero quamplures, qui hominem fieri potuisse, qualis nunc nascitur, negent, ac nonnulli etiam, qui attempta divina Providentiæ, nequidem sine Gratia condi posse propugnent. Ex iis autem nemo cum Jansenianis convenit in damnatis erroribus. II enim, ut vidimus, integritatem justitiæque originalem, et sanctitatem debitas naturæ proprietates astruebant. Contra vero Augustiniani, aliique theologo orthodoxi, hæc indebita homini esse, ac sanctitatem gratuitum donum supernaturale fatentur; negant vero posse hominem fieri concupiscentiæ subjectum; quia hunc effectum peccati ad peccatum inclinantem, et contra naturam esse hominis rationalis juxta SS. Augustinum et Thomam opinantur (5). Quid vero in hoc est revelationi, ac definitioni Ecclesiæ contrarium?

Dicent fortasse, damnatam esse Baii propositionem, quæ hominem fieri potuisse negat, sicut nunc nascitur. Sed jam dixi, quo sensu hæc proscripta fuerit, ac celebriores theologo asserunt, hanc unam ex illis esse, quæ aliquo pacto defendi possunt; licet attentis Baii principiis jure meritoque proscripta in eo fuerit. Videatur Petrus

(5) Si quis SS. Augustini, ac Thomæ Opera soluto præjudiciis animo evolverit, plane intelliget rectene, an secus ad eosdem provocent, qui naturæ pure statum repugnare negant. (EDIT. BARBIELL.)

Mansius de *Peccato originali* quæst. 4, ubi plurima profert ex Augustino, Thoma, Bonaventura, Alensi, aliisque theologis qui probant concupiscentiam esse ab appetitu sensitivo distinctam, ac perversam affectionem, sive qualitatem, quæ Deum auctorem habere nequeat (6). Accedit etiam quod si ex illa fas esset inferre, potuisse revera Deum hominem facere qualis nunc nascitur cum nunc peccato nascatur infectus, ita quoque fieri potuisse oporteret, quo nil absurdius (7).

Alii vero censent, non solum fieri a Deo non posse hominem concupiscentiæ subjectum, sed nec etiam supernaturali Gratia destitutum; non quod hæc naturæ sit debita, cum donum sit gratuitum, et supernaturale, sed quia posito homine ad imaginem Dei formato, ac amante Deum, atque in ipsum veluti in ultimum finem suum tendente, illumque appetente, Providentiæ ordo postulat, ut ea ipsi concedantur, quæ ad illius consecutionem sunt necessaria; et sicut alii theologo teneri Deum ex Providentiæ lege asserunt ad unicuique dandum in hoc statu auxilia sufficientia Redemptoris, quibus possint homines expedite, et proxime mandata servare; quæ tamen auxilia etsi ex illa lege debita, ad veram tamen Gratiam pertinere tuentur; ita isti quod hominis naturam exigere asserant imaginem Dei, innatum Dei clare videndi appetitum, et esse non possit, quin Deum amet, quem tamen nequit sine Gratia diligere, nequidem ut naturæ auctorem, in quocunque statu ex Providentiæ, et justitiæ lege homini Gratiam Conditoris deberi opinantur, ut mandata servare, Deum auctorem suum diligere, ac optatam beatitudinem consequi valeat.

Opinio hæc novatorum supra expositam hæresim detestatur, atque in tribus fundatur principiis, in quibus theologo pro libito disceptare salva fide possunt: nam asserunt I. Hominem natura sua ad imaginem Dei esse. II. Fieri non posse, quin indito naturæ appetitu feratur in Deum ipsius auctorem, ac finem clare videndum. III. Amare non posse Deum nequidem ut naturæ auctorem, quin superna gratia a creaturis, et supra seipsum elevetur, ac dirigatur in Deum propter se amabilem. Hæc vero opiniones sunt, quæ revelatis principiis, et Ecclesiæ definitionibus non adversantur, et quæ in scholis catholicis semper (8) apud nonnullos vigere. Ex hujusmodi principiis erunt, Deum condito homine rationali, vi suæ providentiæ, æbere illi Gratiam conferre, qua suum auctorem diligere possit, servare mandata, et in finem suum pervenire; qua Gratia is, qui est natura servus,

(6) Hæc testimonia ad ea exigenda sunt, in quibus controversiam de qua agitur, tractant, ne pugnantia tradidisse existimentur, quod eorum doctrina, et gravitate indignum esset. Vide Cl. de Rubéis Tractatum Theologicum de *Peccato Originali* cap. 51, seqq. (EDIT. BARBIELL.)

(7) Nihil quidem hoc absurdius. Verum equis unquam theologorum fuit, qui, cum hominem potuisse a Deo creari initio, qualis nunc nascitur, de-

adoptatur, ut licite serviat, et suum dominum colat, et jus habeat ad illam hæreditatem, sine qua beatus esse non possit. Ubinam hæc opinio ab Ecclesia proscripta est? Imo Apostolica Sedes ut improbat eos, qui contrariam, quæ communior est, Pelagianismi et Manichæismi cum Jansenio insimulant, ita eos reprehendit, qui hanc Jansenianismi accusant. Atque hæc una ex illis Scholæ opinionibus est, quæ a Catholicis etiam Romæ sub oculis Pontificis propugnatur. Mitto enim Contensonium celebrem e Dominicana familia theologum, aliisque, qui editis jam operibus variis in locis puræ naturæ statum impossibilem tradidere Cardinalis Norisius, Fulgentius Bebelli, et Laurentius Berti Romæ hanc propugnaverunt opinionem, ac in editis in lucem Operibus asseruere, et eandem traditam vidi ac publice propugnatam, non solum in schola Augustinianensium, sed etiam a Monachis Cassinensibus in Monasterio S. Calixti, et a Viro Clarissimo Antonio Francisco Vezzosi Clerico Reg. in Conventu S. Andree de Valle. Sed hæc satis de statu innocentiae, et naturæ puræ.

Disputandum nunc est de statu naturæ lapsæ, hoc est de misera illa conditione, in qua humanum genus ob Adami culpam nunc reperitur, spoliatum nempe naturæ indebitis donis; miseris, quibus premimur, concupiscentiæ, potestati Dæmonis, Deique indignationi subjectum, ac Adamitica ipsa culpa per generationem propagata infectum. Orthodoxa fides docet, omnes homines ex Adamo propagatos, etiam ex Fidelium parentibus ortos, originali peccato infectos nasci, esse jure ad æternam felicitatem privatos, filios iræ, atque vindictæ, et æternæ damnationi obnoxios. Hæreticorum nonnulli, ut Pelagiani, Sociniani et Arminiani, originale peccatum negant. Lutherani vero, Calviniani, ac Janseniani, nimium illius effectus extollunt. Nam per istud liberum arbitrium omnino extinctum prædicant, ac rationem misere obtenebratam, depravatamque ipsam naturam. Ad Lutheranos, Calvinianosque quod spectat, præter quam quod peccatum originale in concupiscentia formaliter positum asserunt, quæ etiam in baptizatis remanet, aiunt, Baptismum tegere tantum, aut radere, non vero tollere originale peccatum, et editi contra eosdem in Concilio Tridentino Canones palam faciunt, docuisse etiam perditum omnino Adami culpa fuisse liberum arbitrium. In quam hæresim abiisse quoque Baium, Jansenium, atque Quesnellium, eorum damnatæ propositiones ostendunt, ex quibus constat, in homine post Adami peccatum libertatem deesse indiffe-

fenderet, peccato infectum creari potuisse tueretur? Quis verba illa qualis nunc nascitur, de defectibus, qui rationem culpæ, et pœnæ non haberent, intelligenda esse non declaravit? (EDIT. BARBIELL.)

(8) Vellem, ut nunquam id semper theologo et docto et amico, dum viveret, meo excidisset. Quibus enim testimoniis confirmari, quod tam confidenter affirmari potest? (EDIT. BARBIELL.)